

nes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones, omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, et prædicti successores in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis ordinariis ipsis prædictos omnes, et quoscunque alios, etiam exemptos per edictum publicum, constituto prius summarie, et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi, et monendi, eisque ac iudicibus ordinariis et delegatis, aliisque personis quibuscunque ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile interdictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscunque per censuras et pœnas ecclesiasticas, ac omnia alia juris et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis quandocunque opus erit invocandi, cæteraque in prædictis, omnibus et singulis necessaria faciendi et exequendi, plenam et liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

» § X. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duobus dictis aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, quodque episcopis, collatoribus, et prælatis prædictis etiam cardinalibus, et quibusvis aliis, communiter et divisim a prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, et ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris Apostolicis, generalibus et specialibus, quorumcunque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium aut attributæ prædictis ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocunque vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio speciè; cæterisque contrariis quibuscunque.

» § XI. Litteris prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

» § XII. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque notarii publici manu, et cujuscunque Curie

ecclesiasticæ, vel prælati sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra, ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

» Nulli ergo omnino, etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quarto. » (ADNOTATIONES IV et V.)

§ III.

DE MATERIA, SEU MERCE SIMONIÆ, RE VIDELICET SPIRITUALI, VEL SPIRITUALI ANNEXA.

43. *Materia seu merx simoniæ, quid?* — Notandum prius, rem spiritualem, vel spirituali annexam, pro qua datur temporale a doctoribus communiter vocari materiam, seu mercem simoniæ; ipsam vero rem temporalem vocari pretium, seu munus simoniacum. In præsentibus igitur § de materia, seu merce simoniæ; in sequenti vero de pretio simoniaco agemus.

44. *Res spiritualis, quatenus materia simoniæ, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit res spiritualis, quatenus est materia simoniæ? et quid intelligatur per eam? Resp. I. Per rem spiritualem, pro qua tanquam materia, seu merce datur temporale vi simoniæ, non intelligitur res incorporea, ut Angeli v. g. aut anima rationalis, sed omne, et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem spectat, et ad spiritualem animæ salutem ex institutione divina, vel humana ordinatum est. Ita Marchantius, tom. III, tract. X, n. 95; Navarrus, in *Man.*, cap. xxiii, n. 99; Suarez, de *Simonia*, cap. viii, n. 6, cum communi aliorum. arg. c. *Gratia*, 1, can. *Qui studet*, 11, cau. 1, q. 1. cum concordant.

45. *Alia est spiritualis ex natura sua, et quæ?* — Resp. II. Res hujusmodi spirituales multiplices, et variæ sunt: aliæ siquidem tales sunt essentialiter, aliæ causaliter, aliæ effective, ut videre est apud Pirhing, h. t. sect. 1, § 1, n. 2, et alios, patebitque adducendo breviter, et explicando singularum species. Sunt ergo res spirituales ex natura, seu essentialiter tales, consequenter materia, seu merx simoniæ inter alia a potiori sequentes in specie. Videlicet omnes gratiæ supernaturales tam gratum facientes, quam gratis datæ, tam habituales, quam

§ III. DE MATERIA, SEU MERCE SIMONIÆ, RE VIDELICET SPIRITUALI, ETC. 141

actuales. Item virtutes theologicæ et morales infusæ, characteres sacramentales, et similia, argumento desumpto ex act. cap. viii, § 20. Ratio est, quia hæc ex natura, seu essentia sua sunt res spirituales, ut puta dona supernaturalia a solo Deo data.

46. *Alia est talis causative: et quæ?* — Spirituality causative sunt omnia septem sacramenta, item omnia sacramentalia, uti sunt omnes consecrationes, benedictiones quarumcunque rerum, v. g. aquæ, numismatum, crucium, rosariorum, vestimentorum et vasorum ecclesiæ, altarium, etc. Item officia ecclesiastica ad spiritualem, seu supernaturalem finem ordinata, v. g. prædicatio verbi Dei, orationes, quæ ex institutione Ecclesiæ fiunt, etc. Quæ et similia sunt ac dicuntur spiritualia causative, eo quod sint aliquo modo causæ rerum spiritualium essentialiter taliter n. præced. specificatarum. Et quidem quod hæc omnia sint materia simoniæ, universaliter constat ex can. fin. cau. 1, q. 3, c. *Non satis*, 8, et c. *Cum in Ecclesia*, 9, h. t.

47. *Alia effective talis: et quæ?* — Spirituality effective sunt, quæ a dono, officio, potestate, vel jurisdictione spirituali tanquam causa proxime procedunt. Talia plura sunt, et quidem imprimis sunt patratio miraculorum, quæ utpote a gratia gratis data proveniens, ne simoniace fiat, specialiter prohibuit Christus *Matth.* x, 8, dicens: «*Gratis accepistis, gratis date.*»

48. *Enumerantur plures species materiæ simoniæ.* — Secundo talia etiam sunt actus officiorum, et potestatum spiritualium, v. g. ordinare, confirmare, sepelire, etc., quos materiam simoniæ esse aperte liquet ex cit. c. *Non satis*, 8, c. *Cum in Ecclesia*, 9, c. *Ad nostram*, 21, c. *Suam*, 29, h. t.

49. Tertio. Talia sunt omnes actus jurisdictionis spiritualis, fori interni, et externi, v. g. dispensatio in votis, juramentis, impedimentis, legibus ecclesiasticis, quos materiam simoniæ reperies can. *Nullus episcopus*, 24, cau. 1, q. 1, c. *Nemo*, 14, h. t. c. *Ad aures*, 24, eod. et novissime in concilio Trident. sess. 24, cap. v, de *Reformat. matrim.*

50. Talia item vel maxime et frequenter occurrentia sunt, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, investitura, etc. ad beneficia, dignitates, et prælaturas ecclesiasticas, quæ ne simoniace fiant, passim prohibetur in jure, ut c. *De*

hoc, 11, c. *Matthæus*, 23, c. *In tantum*, 36, h. t. cum Concordant.

51. Et universaliter taliter sunt omnes alii actus potestatis ac jurisdictionis ecclesiasticæ tam voluntariæ, quam contentiosæ, per jura citata, quibus adde c. *Vendentes*, 10, cau. 1, q. 3, et ibi Glossam, § *Justitiam*. Item c. *Cum ab omni*, 10, de *Vita, et honest. cleric.* Ratio est, quia omnes isti actus sunt ministerium quoddam ecclesiasticum, quod ne pro temporali simoniace præstetur, universaliter prohibetur c. *Ad nostram*, 21, h. t.

52. *Res spirituali annexa, quatenus materia simoniæ, quid?* — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit res spirituali annexa? et quid intelligatur per eam, quatenus est materia, seu merx simoniæ? Resp. I. Per rem spirituali annexam ad propositum intelligitur illa, quæ quidem in se, et intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam et conjunctam habet rem spiritualem, indeque materiam, seu mercem simoniæ ingreditur, ita doctores communiter, et statim magis patebit ex dicendis.

53. *Alia sunt rei spirituali annexa antecedenter.* — Resp. II. Tripliciter potest aliquid esse annexum rei spirituali, antecedenter, videlicet, concomitanter, et subsequenter. Antecedenter rei spirituali annexa sunt, quæ prius jam existunt, et præsupponuntur, antequam rei spirituali annectantur, vel cum ea jungantur. Hujusmodi res sunt templa, altaria, calices, vestes, et vasa sacra, omnesque aliæ res consecratæ, et benedictæ, utpote quæ omnes tanquam quid ex se profanum prius jam existunt, antequam benedicantur, vel consecrentur, seu antequam benedictioni, et consecrationi tanquam rei spirituali annectantur, et cum ea jungantur. Et quidem has omnes materiam simoniæ esse, passim habetur in jure præsertim vero ex can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 1, q. 3.

54. *Alia concomitanter.* — Concomitanter annexa sunt, quæ cum re aliqua spirituali intrinsece, et inseparabiliter sunt conjuncta; uti est, v. g. labor actualis, seu exercitium corporis in celebratione missæ, administratione sacramentorum et aliorum officiorum divinorum. Intuitu cujus connexionis materia, seu merx, simoniæ sunt, ita, ut pro tali labore dare, vel accipi temporale non possit; prout magis dicitur inira § 10.

55. *Alia subsequenter.* — Subsequenter

connexa rei spirituali sunt, quæ hanc tanquam causam præsupponunt, eamque seu effectus sequuntur; uti sunt beneficia, et pensiones ecclesiasticæ, decimæ, etc., primitiæ, oblationes, etc. seu jura has percipiendi; hæc enim officium, vel ministerium spirituale, tanquam sui causam, et originem præsupponunt, cum beneficium, seu jus percipiendi redditus detur propter officium. Et hæc quoque materiam simoniacam esse, copiose testantur iura, ut can. *Si quis dator*, 2, can. *Si quis episcopus*, 3, can. *Quæsitum*, 4, cau. 1, quæst. 3, cum Concordant.

Verum, uti jam supra dictum, de his omnibus amplius dicitur infra agendo desimoniæ in specie.

§ IV.

DE PRETIO, SEU MUNERE SIMONIACO.

56. *Pretium simoniæ juris divini est omnis, et sola res temporalis, quæ etiam vocatur munus.* — Queritur I. Quid, et quotuplex sit pretium simoniacum, vel simoniæ? Resp. I. Loquendo de simonia juris divini, nomine pretii simoniaci hic non tantum intelligitur pecunia, sed omnis, et sola, quæcunque tandem res temporalis, quæ datur, vel offertur pro re spirituali, vel huic annexa. Unanimis et certa, patetque ex dictis supra. Porro hoc pretium simoniacum in jure vocari solet munus, non quidem prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. Nam ut dicitur I. *Munus tribus*, ff. de V. tribus modis accipitur munus, primo pro dono gratuito, quo sensu dicimus munera dare. Secundo pro officio, unde munera militaria, et civilia dicuntur. Tertio pro onere, in quo sensu a ly munus derivatur ly municipes, immunitas, immunitas.

57. *Simoniæ juris ecclesiastici pretium esse potest, etiam res spiritualis.* — Dicitur autem notanter loquendo de simonia juris divini; quia in simonia juris ecclesiastici pretium esse potest etiam aliquod spirituale, in materia beneficiorum videlicet, quæ licet sint spirituales, nihilominus si propria auctoritate fit commutatio illorum, aut transactio in materia, committitur simonia juris ecclesiastici, etsi solum detur spirituale pro spirituali; prout amplius dictum, et probatum est supra ex n. 25.

58. *Extra materiam beneficiorum non est*

simonia, dare spirituale pro spirituali. — Notandum tamen, quod extra materiam beneficiorum nunquam committatur simonia, si etiam propria auctoritate datur spirituale pro spirituali, v. g. sacræ reliquiæ pro reliquiis, missa vel pro aliis rebus spiritualibus, uti cum aliis Suarez, lib. IV, de *Simonia*, cap. xxxi, n. 20; Pirhing, h. t. n. 124. Ratio est, quia istud nullo jure, nec divino nec humano reperitur prohibitum, nec aliqua irrogatur injuria rei sacræ, hoc ipso, quod non detur pro re temporali, sed spirituali, quod licere constat etiam ex sacris paginis, *Joan. 1*: « Gratiam pro gratia. »

59. *Pretium simoniacum aliud est, et dicitur munus a manu: et quid hoc?* — Resp. II. Pretium, seu munus simoniacum dividitur in munus a manu, munus ab obsequio, et munus a lingua. Ita communis, textu claro can. *Sunt nonnulli*, 114, cau. 1, q. 1, ibi: « Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. » Per munus a manu intelligitur hic non sola pecunia, quæ alias propriissime pretium est, arg. I. *Quod si servis*, § fin. et I. *Si res*, ff. de *In rem verso*, cum Concord., sed etiam quævis alia res temporalis pretio æstimabilis, utilitatem aliquam, vel commodum afferens, sive dein sit mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalia, qualia v. g. sunt artificiosæ picturæ, currus, equi, vasa argentea, et aurea, dolia vini. Item jura, census, pensiones, debiti remissio, dilatio, vel anticipatio, mutatio pecuniæ. Navarrus, *Manual*. cap. xxiii, n. 101; Bonacina, de *Simonia*, § 1, n. 3; Layman, de *Simonia*, § 3, n. 25, cum communi aliorum arg. can. *Totum*, 6, cau. 1, q. 3, ubi omnia hæc pecuniæ æquiparantur. De remissione debiti constat ex c. *Veniens*, 10, de *Testibus*, et *attestat.* c. 3, et penult. h. t. can. *Talia*, 1, cau. 8, q. 3. De mutatione pecuniæ, anticipatione, et solutione debiti habetur ex I. *Quisquis*, c. *Si certum petatur*. Ratio universalis est, quia in his omnibus reperitur aliqua utilitas, vel commoditas temporalis, quæ si pro spirituali, aut hoc pro illa offertur, promittitur, aut datur, semper simoniacum est per dicta, et probata supra.

60. *Aliud munus ab obsequio: quid isto veniat?* — Per munus ab obsequio intelligitur omne quodecunque tandem servitium, vel obsequium temporale tacito vel expresso pacto pro re spirituali præstatum, vel præstandum. Ita communis, eaque contraver-

sia, arg. c. *Cum essent*, 12, h. t. et ibi doctores. Hinc simonia est, si quis sine omni, vel incompetente salario, episcopo, canonico, vel alii collatori, aut patrono agat capellanum, hujus vel illius instruat juventutem, etc. tacito vel expresso pacto, ut cum tempore ab eis obtineat beneficium. Item reciproce si collator, præsentator beneficium promittat, vel conferat, aut eligens ad id dat votum, tacito vel expresso pacto, ut beneficium accipiens, illi vel consanguineis ejusdem præstet certum genus obsequii temporalis. Num autem simonia etiam committatur, si quis serviat, seu obsequium præstet alteri sub sola spe et motivo consequendi ab illo beneficium, dicemus § seq.

61. *Aliud munus a lingua: et quid istud?* — Per munus a lingua intelliguntur laudes, recommendationes, preces, intercessionis, quæ tacito vel expresso pacto pro beneficio, aut alia re spirituali interponuntur vel interponendæ promittuntur, aut exiguntur apud principem, communitatem, magistrum, vel alium quempiam. Navarrus, in *Manu*, cap. xxiii, n. 102; Suarez, de *Simonia*, cap. iv, a n. 1; Bonacina, de *Simonia*, § 1, n. 13; Layman, lib. IV, tr. X, cap. iii, n. 26, cum communi aliorum, arg. can. *Sunt nonnulli*, 114, cau. 1, q. 1. Ratio est, quia etiam hoc munus quid temporale, et pretio æstimabile est, ita ut etiam pretio vendi possit, consequenter si pro re spirituali, aut hæc pro illo datur, vel offertur, simonia est.

62. *Doctrina practica ad propositum.* — Infertur, simoniam esse, quando collator, aut præsentator beneficii, vel habens votum ad illud conferendum, promittat, aut alicui conferat beneficium, vel præsentet, aut det votum, tacito, vel expresso pacto, ut talis recipiens beneficium, vel potens illius pater, frater, consanguineus, etc. pro collatore, præsentatore, aut ejus amicis, etc. apud principem, communitatem, magnum dominum intercedat, vel illum commendet, vel ut sua, aut aliorum intercessione, recommendatione faciat, ut collatori vel ejus amico, etc. certum conferatur officium, aut aliud præstetur obsequium temporale. Idem est, si beneficium, aut quid aliud spirituale impetraturus, ad similes preces recommendationes per se, vel per alios faciendæ se offerat, illasque promittat, vel faciat tacito, vel expresso pacto obtinendi spirituale.

63. *Non est simonia sine pacto simpliciter orare, aut commendare, ut mihi aut alii con-*

feratur beneficium. — Notandum tamen cum Laymano, loc. cit. et aliis doctoribus n. præced. allegatis, contra D. Thomam 2, 2, q. 100, a. 5, ad 3. Durandum, et Adrianum, non esse simoniam, simpliciter orare, rogare, intercedere, laudem aut recommendationem afferre apud collatorem, præsentatorem, etc. Ut sibi, vel certo cuidam conferat beneficium, vel quid spirituale. Item non esse simoniam, si intuitu solius intercessionis, recommendationum aut precum, absque alio tacito, vel expresso pacto, quis conferat alicui beneficium, arg. can. *Latorum*, 121, cau. 1, q. 1, ubi ipse Papa fateatur, se ad intercessionem alterius alicui quid spirituale, ordinem videlicet acolythatus contulisse, et c. *Tua nos*, de *Simonia*, ubi declaratur, quod humiliter roganti conferri possit canonicatus absque scrupulo simoniæ pravitate. Ratio est, quia, qui dat aliquid ex eo, quod rogetur, nulla ratione illud vendit, sed omnino gratis dat; consequenter simoniam non committit. Confirmatur universaliter totius orbis Christiani consuetudine, qua constat, preces et recommendationes ad obtinenda beneficia pro se, et pro aliis ubique, etiam apud Sedem Apostolicam libere interponi, et intuitu earum non raro conferri beneficia.

64. *Intuitu precum sibi factarum conferre beneficium minus digno, relicto digniori, non est simonia sed aliud peccatum.* — Verum, licet nullum committat peccatum simonia, qui intuitu solarum precum, intercessionis, aut recommendationis sine alio illicito tacito, vel expresso pacto beneficium conferat; nihilominus tales in alio genere gravissime peccare possunt, et sæpe peccant, si videlicet intuitu hujusmodi precum aut recommendationum beneficia conferant indignis, aut si curata conferant minus dignis, relictis dignioribus, quod grave peccatum esse, amplius dictum et probatum est supra lib. I, tit. VI, de *Elect.* § 10, a n. 241.

65. *Dare beneficium, vel quid aliud spirituale intuitu consanguinitatis non est simonia.* — Queritur II. An pretium aliquod simoniacum interveniat, aut simonia committatur, si alicui datur spirituale v. g. beneficium ratione et intuitu amicitie, vel consanguinitatis? Resp. cum D. Thoma 2, 2, q. 100, art. 5, ad 3, et communi aliorum negative. Ratio est, quia licet beneficium detur alicui amico, vel consanguineo quotali, tamen datur gratuito, et sine ullo pacto

tacito vel expresso, consequenter etiam sine pretio temporali, et sic absque simonia. Nec quid in contrarium probat c. *Nemo*, 14, h. t. quia postrema illius verba, quæ de simonia agunt, non sunt referenda ad casum, quo dicitur, nil amicitiae, aut consanguinitatis gratia faciendum esse in occultandis peccatis.

66. *Pariter non est simonia ex timore mali incurrendi id facere.* — Quæritur III. An pretium simoniacum interveniat? et simonia committatur, si quis alteri confert spirituale, v. g. beneficium ex timore damni, aut nocimenti temporalis, aut disgratiæ alias incurrendæ? Resp. Negative, nisi interveniat pactum. Suarez *de Simonia*, cap. xxxvii, Soto, cum communi aliorum contra D. Thomam, in 4, dist. 15, q. 3, art. 3, ad 4, et nonnullos alios, arg. c. *Ad audientiam*, 4. De his, quæ vi metusque causa, ubi restitui jubetur ille, qui ex gravi metu beneficium resignavit: quod factum non fuisset, si resignatio ex timore male facta, simoniaca fuisset; cum simoniaca resignatio ipso facto inducat privationem beneficii juxta dicenda § 41. Ratio autem conclusionis est, quæ operari ex metu, non est operari ex pacto pro pretio; cum ita operans præcise intendat avertere causam vel ansam aversionis, aut odii, ex quo dein malum sequi timetur.

Dicitur autem notanter, nisi pactum interveniat; quia obligatio, quæ vi pacti imponitur alteri, ne mihi noceat, et securitas mea per pactum obtenta est quid pretio æstimabile, consequenter si pro illo datur spirituale, simoniam esse, volunt doctores citati, et alii.

67. *Dare temporale tanquam motionem consequendi spirituale, an sit simonia? Remissive.* — Quæritur IV. An pretio simoniaco annumeretur, vel ei æquiparetur, consequenter simoniam inducat, si quid temporale datur, offertur, aut promittitur non tanquam pretium, sed tanquam motivum consequendi spirituale, seu ea intentione, fine, aut motivo, ut obtineatur spirituale? Resp. Ad hoc quæsitum patere § seq.

§ V.

DE PACTO, SEU CONTRACTU SIMONIACO: ET AN HOC ETIAM INTERVENIAT, CONSEQUENTER SIMONIA COMMITTATUR, SI TEMPORALE DATUR, AUT PRÆSTATUR NON TANQUAM PRETIUM, SED PRÆCISE UT MOTIVUM OBTINENDI SPIRITUALE.

68. *Ad simoniam necessario requiritur pactum,*

vel contractus. — Quæritur I. An, et quale requiratur pactum, seu contractus ad hoc, ut simonia committatur? Resp. I. Certum est, et apud doctores indubitatum, ad rationem simoniæ requiri pactum aliquod, aut contractum expressum vel tacitum, saltem ex una parte inchoatum, vel intentum dandi vel præstandi temporale pro spirituali, aut e contra. Patet hoc ex ipsa definitione num. 3, data, in qua ly emendi, vel vendendi, tacitum, vel expressum pactum importat, juxta dicta ibid. quamvis non negetur, posse dari simoniam unius duntaxat, si videlicet unus tantum promittendo, dando, aut præstando temporale intendit alterum obligare aut movere ad reciproce dandum spirituale, aut e contra; consequenter facere talem contractum, aut pactum.

69. *Sufficit tamen tacitus et implicitus.* — Resp. II. Non necessario requiritur pactum, aut contractus expressus, quo quis v. g. dicat, promitto, do, præsto, vel dabo, aut præstabo tibi hoc temporale, hac tamen conditione, seu onere, ut mihi des, conferas, aut præstes hoc vel illud spirituale, v. g. beneficium; sed omnino sufficit etiam pactum, seu contractus tacitus, et implicitus, saltem ex una parte inchoatus, vel intentus, quo quis temporale quidem dat, aut præstat, aut præstare proponit animo, et intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut e contra, sicque aliquam commutationem, et appretiationem rei temporalis cum spirituali faciendi, ita tamen, ut hunc animum suum verbis, aut signis expressis non manifestet, sive dein alter id advertat, sive non. Rursus communis ac certa, patetque passim ex sacrosanctis Canonibus, præsertim ex c. *Tuanos*, 34, c. *Etsi quæstiones*, 18, h. t.

70. *Ex parte unius duntaxat inchoatus, vel intentus.* — Dicitur tamen notanter in utraque conclusione, contractum saltem ex una parte inchoatum, aut intentum, idque ideo, quia potest dari simonia ex parte unius duntaxat; quando videlicet unus offert quid, dat, aut præstat, aut præstare proponit temporale, animo alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, sicque contractum, aut permutationem ex sua parte facere intendit; alter vero id, vel non advertit, vel advertens non consentit, et propterea non acceptat, vel spirituale reciproce non dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius

§ V. DE PACTO, SEU CONTRACTU SIMONIACO, ETC.

duntaxat Simonis Magi, non item S. Petri facta simonia commissa; dum ille huic obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus S., Petrus vero non accepit, sed recusavit dicens: «Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.» Hinc in definitione simonia non dicitur esse contractus, seu emptio vel venditio, seu contractus, sed studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali.

71. *Controversia specialis.* — At vero gravis, et quoad praxin maximi momenti, simulque periculosa difficultas est, an etiam, quando, et quomodo pactum saltem implicitum intercedat, consequenter simonia committatur, casu quo temporale pro spirituali, aut vicissim offertur, datur, aut præstatur non ut pretium, sed ut motivum, intentione et animo, vel etiam sub spe consequendi spirituale. Et quia de his duplex distincta difficultas est, duo distincta ad eam solvendam ponemus quæsitæ.

72. *An interveniat implicitum pactum, et committatur simonia, si absque ullo externo pacto, conditione, vel obligatione imposita, hac tamen intentione interna offertur, vel præstatur temporale, ut alter moveatur ad dandum spirituale?* — Quæritur igitur II. An, et quomodo pactum seu contractus saltem implicitus interveniat? et consequenter committatur simonia, casu quo temporale pro spirituali, aut e contra offertur, datur, præstatur, aut præstari proponitur, non ut pretium, sed ut motivum consequendi spirituale, seu ideo, hac intentione, et fine, ut mediante tali temporali alter moveatur ad dandum spirituale, vel e contra. Et quoniam quæstio hæc summe practica, et valde frequenter occurrens est, ideo pro majori ejusdem resolutionis intelligentia casus aliquos practicos præmittemus.

73. *Explicatur status quæstionis variis casibus practicis quatuor.* — Caius clericus venit in nolitiam, vacare parochiam, canonicatum, vel aliud beneficium, quod ipse libenter haberet. Verum, quia videt, adesse jam, vel certe brevi venturos etiam alios, et forsitan digniores, aut potentiores se, illico se confert ad collatorem, seu presentatorem, eique se commendat, et pro collatione beneficii, aut presentatione ad illud supplicat, simul etiam per se, vel alium offert eidem aliquod honorarium (uti vocant) v. g. aliquam certam quantitatem pecuniæ vel

pretiosam picturam, vel artificiosam statuam, vel aureum aliquod, aut argenteum vas, vel quid aliud absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut externa imposita obligatione, ut pro tali temporali eidem conferatur beneficium; hac tamen interna intentione, sine, et animo, ut intuitu illius collatorem, vel patronum moveat, et obliget, ad beneficium sibi præ aliis conferendum.

74. Titius in simili vel alia vacatura beneficii, scit hunc vel illum consiliarium, ministrum, aut alium, apud collatorem, aut presentatorem omnia, aut certe tantum valere, ut mediante illius recommendatione, aut intercessione beneficium obtinere valeat: hinc illi per se, vel alium aliquid temporale offert sine ullo pacto expresso, aut obligatione, hac tamen intentione et animo, ut eum moveat, et obliget, quatenus ipsum in ordine ad beneficium consequendum recommendare, suaque recommendatione, et intercessione beneficium impetrare dignetur, quam intercessionem ut faciat, etiam rogat ipsum.

75. Sempronius videns, quod ob defectum suarum qualitatium, vel meritorum, vel ob copiam cleri, ac competentium tam brevi aut facile beneficium aliquod obtinere non valeat, resolvit se ad tempus aliquod gratis, vel pro minori ac competenti salario agere capellanum apud episcopum, præpositum, decanum, vel alium collatorem, presentatorem, agere instructorem, moderatorem juventutis apud presentatorem, aut talem, qui sua potentia, et intercessione beneficium impetrare facile potest, idque facit quidem absque ullo pacto expresso, conditione, aut obligatione imposita, occulta tamen interna intentione et animo, ut talem moveat et obliget, quatenus sibi cum tempore beneficium vacans conferat, vel ad illud presentet, aut sua intercessione juvet.

76 et 77. Similiter episcopus habens jus conferendi, canonicus habens turnum aut vocem in capitulo, aut patronus habens jus presentandi ad beneficium vacans, bene videt, vel saltem sibi imaginatur, quod si huic, vel illi beneficium conferat, aut ad illud presentet, recepturus sit ab illo, ejusve parentibus, consanguineis insigne honorarium, aut obtenturus pro se, vel suis officium, promotionem, aut aliud utile obsequium temporale. Hinc illi præ aliis benefi-